



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 2. Prodigalitas auaritiæ aduersa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

cipias? Apud quosdam vincit Auaritia, apud alios Superbia dominatur. Hæc ait, Instrue conuiuium; inuitandus est hic, & ille, & ille, qui scire debent, quantum possis: At illa respondet, Cras, finitis epulis, quid habebis? veniet lanio, aderit caupo, pulsabit ostium, qui aues, qui pisces, qui obsonia volet solui. Superbia non vult tolerare vestes attritas, mittit, qui sericum afferat, qui purpuram venalem inquirat. Auaritia ait: Etiam centones arcent frigus; adhuc vno anno tunica facilè durabit; melius est, non profiteri vestibis pretiosis diuitias; præstat marsupium, quàm pallium auro fulgere. Et mille talia. Quantum feminæ pecuniarum perdant in mundo muliebri, in libro de Monstris ostendi; quantum impendant filij ac filia in superbiam, experiuntur miseri parentes. Vno verbo, quidquid reclamet Auaritia, Superbia vult esse sumtuosa; & superbus

*Illecebris capitur, nimiumq; elatus auaro
Pascitur intuitu.*

§. II.

Prodigalitas auaritia aduersa.

Trahit plerumque Superbia secum comitem prodigalitem: prodigalitas autem

L 4

diuitijs

Claud:
lib. 1. in
Ruffin.

Pontan.
cap. 3. de
Magni-
ficentia.

diuitijs est in primis inimica. Iuuenes prodigi, senes auari: illi quia nondum sciunt, quid pecuniæ profint, nisi plena manu profundantur: isti, quia semper metuunt, ne desit, quo vivant. Demadem Atheniensem non admodum senem fuisse iudices, quia admodum prodigus fuit. Nam pecunias amplissimas facile effudit, mirificamq; pecuniæ vim in res turpes contulit. Lege enim Atheniensium cautum cum esset, ne quis peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum multa indicta ei, qui ludos ederet: Demades ludis suis centum peregrinos, qui saltarent, mercede conductos in theatrum induxit, centies mille drachmis solutis. Fuit qui in meretrices totos modios pecuniarum expenderet; Alexandrina Thais totam iuuentutem Atticam, & cum ea immensas ad se opes attraxit. Neq; enim cum Demosthene dixerunt: *Non emo poenitere tanti.* In leones, in elephantos, in spectacula & theatra, quantum argenti expensum est olim? Marineus, dum Granatæ vrbis in Hispania agrum à fertilitate laudat, testatur eum ex arborum folijs, è quibus fit sericum, singulis annis, vestigal aureorum millium fere triginta quinque regibus

Marin.
l. 20. 1er.
Hispan.

regibus pendere, præter multas ferici libras.
 Hæc nisi emptores prodigos haberent, non
 venderentur. Sed vestibis maior est excu-
 satio. Vidi, qui multas pecunias daret ijs,
 qui sibi ab eo barbam prolixius pendentem
 curtari, aut capillos Absolonios tondere,
 paterentur. L. Neratius, cùm, authore Gel-
 lio, pro delectamento haberet, os hominis
 liberi manus suæ palmâ verberare; seruum
 comitem trahebat, crumenam plenam assi-
 um portitantem. Et quemcumq; depalma-
 uerat, numerari statim, secundùm duodecim
 Tabulas, XXV. asses eidem iubebat. Expli-
 cari non potest, quantum in minutissimos
 lapillos, dummodo pulchrè luceant, expen-
 datur, tametsi neque pro sanitate, neque
 pro re alia seruiant. Nonnè præstat non ha-
 bere pecuniam, quàm habere & perdere in
 tales vsus? ideòne sudatur, vt habeatur,
 quod sic expendi possit?

Censibus æquantur concha.

§. III.

*Ira, pigritia, auaritia quantum noceat di-
 nitibus?*

Sunt & alia vitia Charybdes nummo-
 rum. Ira quid non amisit sæuiens in suum
 damnum? quas non opes & vrbes euertit.

L 5

furor?

Manil.
lib. 5.
Astron.